BIBLIOTH. DE L'UNIVERSITÉ

FACULTÉ
DE
THÉOLOGIE
DE PARIS

THÈSES

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.
692

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.
692



Volume de 404 feuillets
(moins 25, 26 et 346)
20 Juin 1912





73

D. O. M.

Sacræ theologiæ Facultati

de

Ecclesiasticarum electionum historiâ thesim

P. P.

E. A. Blampignon, Trecensis presbyter.

74

De sacrarum electionum historiâ.

Ecclesiarum ubique instituendarum Apostolis suis munera tribuit Christus, eos nimirùm mittens, sicut ipsum miserat Pater; atque per nunquam interruptam seriem et constrictam successionem, super fundamentum Apostolorum et prophetarum ædificata Ecclesia Christianum populum pascit ac docet. Ut quis animarum pastoris officium consequatur, ut, quasi Domini vices gerens, fideles regat, missionem ab Apostolorum successoribus quibus suos in spiritualium rerum ordine gubernandos præbuit summus Pastor, recipiat admodùm necesse est. Illam sanè doctrinam in quibuscumque sacris professi sunt omnes catholici viri esse Hierarchiam divinâ ordinatione institutam, ex episcopis, presbyteris et ministris constantem, de fide proposuit concilium tridentinum. Sess. 23. can. 6.

At de seligendis illis quibus à pastoribus animarum administranda traderetur variæ juxtæ nationes et tempus fuit Ecclesiæ disciplina, nunquam tamen ad ordinationum ratam auctoritatem populi vel principis consensus essentialis habitus est; sacraque tridentina synodus anathemate suo percussit eos qui dixerint ordines ab episcopis collatos sine populi aut sæcularis potestatis consensu vel invocatione irritos esse. Sess. 23. can. 7. Nihilominùs sæpè fidelibus, potissimùm in primâ Ecclesiæ ætate, veluti ordinandorum vitam rectè scientibus, sæpè principibus, ut pote qui, episcopi externi, tùm futurorum pastorum mores agnoscerent, tùm maximæ utilitatis eis essent, in sacris electionibus

amplissimam partem præbuit ac tradidit Ecclesiæ ; frequenter tamen sibi omnem electionum curam clerus servavit.

Cùm de sacrarum electionum historiâ disserendi onus incumbat, hanc difficilem atque implicatam materiam in tres sectiones dividemus, videlicet 1°. de ecclesiasticis electionibus in quatuor prioribus Ecclesiæ seculis ; 2°. de electionibus à seculo V ad XII. 3°., de electionibus à seculo XII ad confecti inter Leonem X et Franciscum I pacti tempus.

§. 1. De sacris electionibus in quatuor prioribus Ecclesiæ seculis.

Act. I. Ab ipsismet è nascentis Ecclesiæ incunabulis, rogante Petro et fratrum concilium convocante, statuit totus cœtus duos viros Josephum et Abathiam ; Abathias verò divinis sortibus electus cum apostolis annumeratus fuit. Paulò post, cum de diaconis statuendis res esset, Act. VI convocantes duodecim multitudinem discipulorum fidelibus præceperunt considerare viros boni testimonii septem, plenos spiritu sancto et sapientiâ quos ad ministerii opus promoverent.

Illam agendi rationem sus cipientes apostolorum successores, cum ecclesiasticis ordinationibus operam navarent, populi testimonium diligentissimè requirebant, adeò ut tùm fidelium, tum clericorum suffragiis antiquissimi delectus effecti fuisse videantur. In ista primâ ætate, is igitur mos, ut plurimùm saltem, observatus est. Const. apost. lib. 8. cap. IV Etenim apostolicæ constitutiones, orationem referentes quæ super ordinandum ab episcopi recitari solerent, cleri et populi suffragii meminerunt. Legimus etiam statutum fuisse ut episcopi ordinaturi cum populo adstant et qui reliquorum princeps erat percontetur presbyteros et populum, an ipse sit quem præesse petunt et, ~~percunt~~ illis annuentibus, rursum quærant an tribuant ei omnes testimonium quòd dignus sit hoc magno et illustri munere præsidendi..... cum verò omnes simul non secundum opinionem præjudicatam, sed secundum veritatem testificati

fuerint, talem esse eum, tanquam in conspectu Judicis Dei et Christi...., interrogentur, tum sit dignus ministerio, et in ore duorum vel trium stet omne verbum; et cum tertiò annuerint et dignum esse assensi fuerint, petatur ab omnibus ut præbeant signum et libenter præbentes audiantur; sicque ad ordinationem accedatur." — Quum cleri, tum pariter populi expetitum fuisse assensum, non pro episcopali dignitate, sed etiam pro hierarchicis ordinibus cunctis, nos edocet Anacletus qui hæc habet: Reliqui sacerdotes à proprio ordinentur episcopo, ità ut cives et alii sacerdotes assensum præbeant; similiter et diaconi ordinentur.

Can. Reliqui sacerd. dist. 67.

In beati Cypriani litteris clarissimæ atque pretiosissimæ veteris disciplinæ vestigia reperiuntur. Scribit enim semper sese solitum fuisse in clericis statuendis antè populum consulere, atque singulorum mores ac vitam communi concilio ponderare. Cyprianus idem exemplum refert apostolorum, fidelium multitudinem convocantium in variis ordinationibus, ne quis ad altaris ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus subreperet. Affirmat deindè Ecclesiam ferè totam, juxtà apostolicas traditiones, hunc tenere morem, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui præpositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et episcopus deligatur, plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit et uniuscujusque actum de ejus conversatione prospexit." Referente adhuc doctissimo præsule, S. Cornelius Romanus pontifex creatus fuit clericorum plebisque suffragio. Cyprianus ipse non alio modo segregatus est, sed, ut ait Pontius diaconus, judicio Dei plebisque favore.

Cyp. ep. lib. 11. ep. 5.

id — lib. 1. ep. 4.

Ejus moris permultæ referri queunt exempla; Augustinus nimirum populo Eradium proposuit ut sibi succederet, et statim ab omnibus acclamatum est: Fiat, fiat, exaudi, Christe, et Eradium conservat. Confirmat Tertullianus populi testimonium

Aug. Ep. 109.

Apol. 89. in primæviis Ecclesiæ temporibus requisitum fuisse? Præsident, inquit, probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.

Lamprid. Unde Alexander Severus imperator, cum provinciis præfectos præbere vellet, eorum nomina publicè declarabat, populum hortans ut si quis quid criminis haberet manifestis indiciis comprobaret. Dicebat enim gravissimum esse, cùm ità agerent Christiani in sacerdotibus prædicandis, non fieri in deligendis rectoribus, quibus hominum et fortunæ et capita committerentur.

Can. 13. Dicat Laodicænum concilium populo munus illud sustulisse videatur, cùm hæc habet: δεῖ, τοὺς ὄχλους, non esse permittendum eorum qui in sacerdotio constituendi sunt electionem facere, fideles tamen in orientalibus etiam ecclesiis jure isto gaudentes perstitêrunt. Forsan, Thomassin, Discip. eccl. t. 2. p. 692. uti eruditissimi viri Thomassini ratio docet, à cœtibus tumultuosam multitudinem tantum revocabat synodus, aut clero in eligendis pastoribus majorem partem præbebat.

Constantin. I concilium Damaso summo pontifici aliisque latinis præsulibus conscripsit: Nectarium in concilio generali communi omnium consensu, præsenti imperatore, totius denique cleri cunctæque civitatis suffragio constituimus, ὑπὸ τῆς ἐπιψηφιζομένης τῆς πόλεως. Subdit etiam sacra synodus Flavium Antiochianæ cathedræ accêdisse, totâ illa Ecclesiâ suffragante et virum illum honorificè collaudante.

Post Constantini conversionem, paulatim princeps, senatus et principales cives, plebis jure tamen servato, potiorem partem in electionibus obtinuerunt. Stephanus Ephesinus episcopus in 1. Can. 22. 23 concilio Chalcedonensi sese affirmat à quadraginta asianis præsulibus, suffragio nobilium primatumque populi, ac totius cleri omniumque civitatis promotum fuisse. Gregorius Naz.

Athan. ap. Athanasium refert esse delectum totius plebis suffragio, ψήφῳ τοῦ λαοῦ παντός. Athanasii ejusdem Petrum successorem,
Theodoret. lib. 4. cap. 18. tùm Athanasii ipsius auctoritate, tùm sacerdotum primatumque consensu, tùm denique universi populi clamoribus constat fuisse nominatum. ex

Socrat. V, 8. Suatà Socratem hist., ex quo Christiani esse imperatores caperunt, ecclesiastica negotia à se voluerunt pendere. Hæc verba, licet rectum excedentia, nobis tamen declarant in rebus ecclesiæ externis quamdam partem et auctoritatem principes consecutos
Sozomen. lib. 7. esse. Theodosius, ut exemplum referam, in Nectarii delectu quam amplissimâ potestate usus est. In Chalcedonensi concilio,
Act. II De Ephesinâ sede Bassiano atque Stephano acerrimè contendentibus, hic sese potissimùm cleri plebisque assensione in cathedrâ collocatum fuisse firmiter asseruit, ea tamen subdens: Agnoscat illa piissimus imperator sepentè confirmavit, et apertè declaravit episcopatum confirmans.

Lib. Pontif. in Symm. vitâ. Romæ, idem mos etiàm invaluit; partibus enim diversis simul Laurentium atque Symmachum deligentibus, tristè fuerat genitum schisma; partes tandem statuerunt ut ambo Ravennam pergerent ad judicium regis Theodorici, qui, cum ambo Ravennam introissent, hoc æquitatis inveniebat, ut qui primus ordinatus fuisset, vel ubi pars maxima agnosceretur, ipse sederet in sede apostolicâ. » Idem Theodoricus, defunctis tùm Symmacho, tùm illius successoribus, Petri cathedram Felici IV præbuit; Athalaricus, post regis hujus mortem, Senatui romano grates egit ex eò quòd Felicem libentissimè patres excepissent, hæc habens: « Gratissimum fuisse profitemur nostro animo quòd gloriosi Domini avi nostri respondistis in episcopatûs electione judicio. Oportebat enim arbitrio boni Principis obedire qui, sapienti deliberatione pertractam, quamvis in alienâ religione, visus est tamen eligi posse Pontificem, ut nulli meritò debeat displicere. »

At episcorum quovis modo electorum confirmatio è Metropolitano
Can. 4. 6. emanare debebat; ità statuit Nicaenum concilium: Firmitas, τὸ
αὖρος, eorum quae geruntur in episcoporum selectu et consecratione per
unamquamque provinciam metropolitano tribuatur episcopo.

In occidentalibus ecclesiis eadem disciplina videtur valuisse;
Can. 11. et Carthaginiense 11 concilium hac constituit: Placet omnibus ut,
inconsulto primate cujuslibet provinciae, tam facilè nemo praesumat,
licet cum multis episcopis in quocumque loco, episcopum sine ejus
Leo. ep. 89, 92. praecepto ordinare. Illam instauravit regulam Leo 1 nomine: « Sibi
ordinationem singuli Metropolitani suarum provinciarum cum his
qui caeteros antiquitate Sacerdotii praeveniunt, restituto sibi per nos
jure, defendant; » atque in aliis litteris idem pontifex ità sese
habebat: « Nulla ratio sinit ut inter episcopos habeantur
qui nec à clericis sint electi, nec à plebibus expetiti, nec à
provincialibus episcopis cum Metropolitani judicio consecrati. »

Confirmabat igitur quique metropolitanus provinciae suae
electiones, ipseque à patriarchâ vel à primate approbari debebat.
Cum Alexandriae Melitus adversus Alexandrum seditionem
Can. 6. concitasset, permultosque ordinasset episcopos, Nicaeni Patres ab
Ecclesiae clavo hunc removerunt, simulque Alexandrini patriarchae
auctoritatem fulserunt; deinde Romani et Antiocheni patriarcharum
potestatis clarissima praebuerunt argumenta. Horum amplissimorum
primatum dignitatem extollit, Apostolicae tamen sedis excellentiam
ep. 18. declarans, cum ad Alexandrum litteras suas mitteret Innocentius 1:
Revolventes auctoritatem Nicaenae synodi quae una omnium
per orbem terrarum explicat mentem sacerdotum quae censuit de
Antiochenâ ecclesiâ ...., advertimus non tam pro civitatis
magnificentiâ hoc eidem attributum, quam quod prima primi
Apostoli sedes esse monstretur, ubi et nomen accepit religio

Christiana et quæ conventum apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit; quæque urbis Romæ non cederet nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consummatumque gaudet. — Itaque, frater charissime, arbitramur ut, sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et cæteros non sine permissu conscientiâque tuâ sinas episcopos procreari.

Ex his omnibus jam eruere possumus, ut plerumque, illam in prioribus Ecclesiæ sæculis viguisse disciplinam, quam paucis propositionibus comprehendere fas sit:

1º In eligendis episcopis cleri maxima, populi verò magna potestas fuit. 2º A Metropolitanis confirmabantur episcoporum electiones; metropolitani ipsi è patriarchis propriis confirmationem excipiebant. 3º Sæpius, à Constantine conversione sacrarum electionum participes effecti fuerunt magistratus et potissimum principes. 4º In presbyteris diaconisque statuendis episcopi suprema fuit auctoritas; sed fidelium ac præsertim clericorum testimonium atque consensus requirebantur

§ 11. — De sacris electionibus à sæculo VI usque ad XII.

Jam inceptâ mediâ ætate, clerus populusque sæpissimè suffragiorum integram libertatem atque deligendorum pastorum munus servaverunt. Sæpè tamen in electionibus potiorè potestate magistratus et imprimis rex aut imperator, utpotè nationis vices gerens, usi fuerunt.

Mos aliquandò invaluit tres viros seligendi, inter quos episcopum nominabat metropolitanus; undè hæc

Nov. 123, 1 Justinianus: Sancimus, quotiès opus fuerit, episcopum

ordinari, in tribus personis decreta facere .... ut ex tribus personis pro quibus talia decreta facta sunt, melior ordinetur electione et periculo ordinandis, ὁ βελτίων χειροτονηθῇ τῇ ἐπιλογῇ καὶ τῷ κρίματι τῶν χειροτονούντων.

In Galliâ Aurelianense concilium II ab episcopis, clero populoque eligendos esse metropolitanos decrevit: "In ordinandis metropolitanis episcopis antiquam formulam institutionis renovamus, quam per incuriam omnimodis videmus omissam. Itaque metropolitanus episcopus à comprovincialibus ordinetur. Concilium V Aurel. regis assensionem requisivit: Nulli episcopatum præmiis aut comparatione liceat adipisci; sed cum voluntate regis juxta electionem plebis ac cleri, sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum, à metropolitano vel ab eo quem in vice sua præmiserit cum comprovincialibus pontifex consecretur. Licet regis consensus sæpè petatur, licet plurima jam fuerint effecta electiones à metropolitanis et à Summis Pontificibus, plerumque tamen secundum antiquum morem præsulis cleri populique testimonium declarabat. Hac beatum Gregorium totis nitentem viribus clerus, senatus populusque Romanus unanimi voce pontificem designaverunt; unde Hormisdas dicit in ordinandis pastoribus populorum murmuri adesse quasi divinum judicium; quippè quum ibi Deus, ubi simplex sine pravitate consentit."

Joan. diac. in greg. lib. 3. ep. 25.

Sæpè tamen, postquàm votum suum manifestasset princeps, clerici et ordines suffragia sua præbebant. Hâc Lambertus Lugdunensis antistes acclamatus fuit, Pippino favente, palatiique proceribus et populis assentientibus. Reliquit etiam regalis præcepti de episcopatu, ut tunc temporis vocabatur, formulam ipsam Marculphus; hæc est: Cognovimus antistitem illum ab hac luce migrasse de cujus successore sollicitudinem congruam unà cum pontificibus vel proceribus nostris plenius tractantes decrevimus illustri viro illi pontificalem in ipsâ urbe committere.

lib. IV, ep. 7. S. Gregorius Joannem quemdam episcopum confirmavit, cum idem esse declaratum de omnium consensu et imperatoris voluntate apertissimè noverit: «quia in personâ Joannis fratris et coepiscopi nostri consensum omnium et serenissimi principis convenisse cognovimus et voluntatem.» Gregorius idem Mauritio imperatori ob Cyriacum Constantinopolitanum

Lib. 6. ep. 6. præsulem constitutum maximas grates exsolvit: «non enim parva potuit esse mercedis quod Joanne sanctæ memoriæ de hâc luce substracto, ad ordinandum sacerdotem pietas vestra diù hæsitavit, tempus paulò longius distulit, cum metu omnipotentis Domini concilium quæsivit, ut videlicet causa Dei cum magno debuisset timore disponi. Unde et aptum valdè existere in pastorali regimine fratrem et consacerdotem meum Cyriacum existimo, quem ad eumdem ordinem vestræ pietatis longa concilia genuerunt.»

At semper, juxtà antiquissimos canones, à metropolitanâ proprio quolibet modo declarati præsulis assensionem atque confirmationem exàperent admodùm necesse videbatur. Chalcedonense concilium

Can. V. statuit episcopum absque metropolitani vel præsentiâ vel litteris

Can. 4. ordinare prohibendum esse; et Parisiense concilium V ordinationem sine metropolitano habitam irritam decrevit: Si absque electione metropolitani electione, cleri consensu vel civium fuerit in ecclesiâ episcopus intromissus, ordinatio ipsius secundum statuta patrum irrita habeatur. Qui metropolitani à propriis patriarchis aut primatibus et potissimùm à summo pontifice confirmandi erant; patriarchæ ipsi, statim electi, cum papâ, utpotè unitatis centro, communicarent necesse erat: hæc ad Epiphanium, Constantinopolitanum patriarcham scribebat Hormisdas: Decuerat, frater charissime, te

ep. 71. legatos ad apostolicam sedem inter ipsa tui pontificatûs initia destinasse, ut quem et tibi debeamus officium benè cognoscens et veterum consuetudinis formam ritè compleres. Metropolitanis à pontificibus romanis pallium mitti quoddam confirmationis signum fuisse videtur.»

Carolus Magnus clero maximam suffragiorum libertatem tribuit: "Sacrorum
Capitular. t. 84. canonum non ignari, ut in Dei nomine Sanctae Ecclesiae suo liberius
potiretur honore, assensum ordini ecclesiastico praebuimus, ut scilicet
episcopi per electionem plebis et populi secundum statuta
canonum de propriâ diaecesi eligantur." Quod decretum refert celeberrimus
ep. XII Hincmarus, à Ludovico III rege electionum libertatem enixè repetens.
Cum Carolus Calvus Aeneam parisiensem episcopum nominasset,
clerus tamen tum saecularis, tum regularis ad metropolitanum et
Conc. gall. t. 12. p. 648. comprovinciales antistites mandavit unanimi voce sese Aeneam
declarasse: Ipse in cujus manu cor regis est Domni Karoli
nostri menti infudit ut ejus nos regimini committeret quem in
divinis et humanis rebus sibi fidissimum multis experimentis
probasset. Igitur Dei pronam in nos amplectentes miseri=
cordiam et regis nostri piam suscipientes providentiam Aeneam
concorditer omnes elegimus.

Imo Herimanum Coloniensem archiepiscopum acerrime
vituperavit Joannes X ex eo quod, inconsultis rege, clericis et
populis Hilduinum consecrasset: cum Hilduinum absque clericorum
electione et laicorum acclamatione episcopali infulâ decorare non
denegastis, cum prima consuetudo vigeat qualiter nullus alicui
clerico episcopatum conferre debeat, nisi rex cui divinitus sceptra
collata sunt assensum praebuerit. Remense concilium, anno 925
habitum, Thibaldum Ambiance sedis usurpatorem ex eo quod
infulatus esset contra regium velle anathemate percussit. Anno
991, inclytus Gerbertus Remensis praesul à comprovincialibus episcopis,
populis acclamantibus, et assensum tradente rege, ordinatus est. Nos,
aiebant patres, nos episcopi Remorum diaeceseos, favore et conniventiâ
Concil. gall. t. 9 p. 1232 utriusque principis nostri, Domni Hugonis Augusti et excellentissimi
regis Roberti, assensu quoque eorum qui Dei sunt in clero et

populo eligimus nobis archiepiscopum abbatem Gerbertum. Unde hæc habuit Hincmarus: Quia princeps terræ res ecclesiasticas divino judicio tuendas et defendendas suscepit, consensu ejus, electione cleri ac plebis, et approbatione episcoporum provinciæ, quisque ad ecclesiasticum regimen provehi debet.

Thomassin. Discipline ecclésiastique. T. II, p. 851.

En his variis legitimè eruit potest in his sæculis, potissimum in Galliâ res ità sese habuisse:
1°. Comprovinciales episcopi in præsulæ statuendo principales electores fuerunt, 2°. Populus et præcipuè clerus in electionibus partem habuerunt 3°. Regis consensus necessarius fuisse videtur.
Quas tres conditiones Remensæ concilium anno 989 celebratum præbet, hæc nimirum dicens: Nos episcopi diœceseos Remorum metropolis episcopo cum omni clero, diversi ordinis populo acclamante, orthodoxis regibus nostris consentientibus eligimus nobis in præsulem....

§ III. — De sacris electionibus à Sæculo XII incunte ad pactum inter Leonem I et Franciscum I confectum.

Licet Carolus Magnus Ludovicusque Pius clericis ac populis pastorum deligendorum jus atque curam reliquissent, licet suffragiis quam amplissimam præbuissent libertatem, illorum successores non semper eamdem viam consecuti fuerunt; ex eo quod præsules, ut potè terrarum dominos et vectigalibus ornatos ferulâ decorare solerent, geniti sunt permultis abusus atque longæ tristesque emanarunt contentiones. Diutissimè tamen antistites electos investiendi munere sapientissimè usi sunt imperatores. Ità sanctissimi in Germanicâ ecclesiâ floruerunt præsules sub Conrado I, tribus Ottonibus, S. Henrico, Conrado II et Henrico III

1

ejus filio. At Henricus IV, hujus successor, adquaestum investiendi jure abutens, de ecclesiasticis beneficiis turpissimum commercium exercere coepit. In illam agendi rationem ingemuerunt summi pontifices; sed S. Gregorius VII tristi malo vehemens remedium praebens, non tantum principibus pastoralia signa tradendi munus, sed quamcumque in sacris electionibus partem tollere conatus est. Lugendae inter sacerdotium atque imperium contentiones ab Henrico IV ad Frederici II mortem manserunt.

Chardon. Hist. des Sacr. ordre I., VIII.

Circa hujus luctuosi belli finem cathedralium ecclesiarum capituli deligendorum sibi jus integrum vindicasse videntur. « Au commencement du treizième siècle, la prérogative des chapitres des églises cathédrales était tellement reconnue en ce point à l'exclusion de tous autres que les chanoines ou les moines qui les composaient ne voulaient pas même souffrir que les évêques de la province partageassent le droit avec eux quand il s'agissait de l'élection d'un métropolitain. » Pragmatica, à multis S. Ludovico adscripta, capitulorum privilegium stabilivit, at semper canonici regis assensum requirerent necesse erat; unde haec habuit Innocentius III: secundum statuta communia electiones episcoporum ad cathedrales ecclesias clericis regulariter pertinere noscuntur, nisi alicubi secus obtineat de consuetudine speciali.

Fleury. - Inst. au droit canoniq. T. 1. p. 94.

Quum plurimi tristesque abusus inde nascerentur, quum saepe saepiusque acerrimae assurgerent contentiones, ad summos pontifices permultae factae erant provocationes seu appellationes. Hinc ~~est~~ in sacris electionibus mutatio: « Il arriva pendant le douzième et treizième siècle que la provision de la plupart des évêchés venait au pape, soit parce qu'on n'avait pas élu dans le temps, soit parce que les élections et les confirmations étaient vicieuses; on en voit un grand

nombre d'exemples dans les décrétales. D'ailleurs il était notoire que plusieurs élections se faisaient par brigues et par simonie, surtout dans les pays où les évêques étaient seigneurs temporels. Souvent les princes s'en rendaient les maîtres par autorité, souvent elles étaient troublées par des séditions et des violences. Elles produisaient des guerres ou tout au moins des grands procès et une infinité de chicanes. Ces désordres donnèrent sujet aux papes de réserver quelquefois la provision de quelques églises où le péril était grand. Puis ils passèrent à des réserves générales en certains cas : comme lorsqu'un évêque serait décédé en cour de Rome, lorsqu'il serait fait cardinal, lorsqu'il aurait acquis un bénéfice incompatible. Enfin le pape Jean XXII passa jusqu'à la réserve générale de toutes les cathédrales, quand elles viendraient à vaquer, ce qui était abolir les élections... Le concile de Bâle voulut retrancher ces réserves générales et rétablir les élections; mais ce décret ne fut pas admis par le pape... Depuis ce temps, la provision aux évêchés a été différente selon les temps; en Italie le pape les donne tous librement; en France il les donne sur la nomination du roi en vertu du concordat de 1516. Les rois d'Espagne et quelques princes nomment aussi par des indults particuliers que le pape accorde pour la vie de chaque prince. n° Sed antequam ad gallicanum conventum deveniemus, de solitâ secundum jus canonicum formâ quaedam dicere necesse videtur.

Cabassut. Jus can. p. 1.

Ad regularem electionem cuncti qui suffragii jure fruuntur admoneantur atque convocentur adeò necesse est ut si vel unius citatio neglecta esset, ad hujus solius

querelam tota invocata electio nulla atque irrita per judicij sententiam declaranda sit. Stat tamen et valet, si in qui non vocatus fuerit suo saltem silentio agnoscere videatur.

Tribus modis ad electionem procedi potest, scilicet 1°. per inspirationem quâ scilicet subitò nominantes in aliquem quasi divinâ motione inspirati conveniunt, 2°. per compromissum quo nimirum deligendi facultas in unum vel plures communi omnium consensu confertur, et deindè per scrutinium cui providens Tridentinum concilium fieri statuit electiones per secreta vota, adeò ut nullâ ratione cuiquam innotescant; aliòquin nulla esset et invalida electio. Sess. 25. c. 6. de reg.

Quoad presbyterorum aut diaconorum electiones, primæ ecclesiæ disciplinæ quædam vestigia etiam nunc vigent. Etenim in eorum ordinatione, populus à præsule moneatur ut si quis habeat aliquid contra illos, pro Deo et propter Deum, cum fiduciâ exeat et dicat. Et quidem jure merito, nam quicumque ad sanctos ordines tendit bono testimonio gaudere debet, nec ullâ infamiâ laborare ut Christi bonus odor sit in omni loco. Past. Ban.

Jam anteà diximus inter sacerdotium atque sæcularem potestatem admodùm fuisse necessarium conventum ad tristes diutinasque contentiones repellendas, ad pacem comparandam, ad certum ratumque jus statuendum; hinc celeberrimum inter Leonem X ac Franciscum I, Bononiæ, anno 1516 confectum pactum seu concordatum, cujus præcipua et principalia ea eruditissimo Thomassino hic referre congruum esse videtur. Discipline eccl. t. 2. p. 942

Sed Bononiense conventum comprobavit Lateranense concilium.

« Le Souverain Pontife déclare qu'il était convenu

avec le Roi de faire cesser les élections dans toutes les églises métropolitaines ou cathédrales du royaume, mais que, ces églises venant à vaquer:

1°— Le Roi y nommerait un docteur ou un licencié en théologie ou en droit, âgé de vingt-sept ans au moins, dans les six premiers mois que l'église aurait commencé d'être vacante, et que le Pape lui en donnerait les provisions.

2°— Que si le Roi y nommait une personne qui n'eût pas ces qualités, ou qui fut d'ailleurs irrégulière, le Pape refuserait de le pourvoir et le Roi aurait les trois mois suivants pour en nommer une autre.

3°— le terme expiré, le Pape nommerait lui-même, si le Roi ne l'avait fait. — Si les prélats meurent <u>in curiâ</u>, le Pape seul pourvoira à leurs évêchés.

4°— Les princes du sang et les personnes de haute naissance pourront être nommés et pourvus, sans être gradués aux universités.

5°— Quant aux monastères ou prieurés vraiment électifs, lorsqu'ils viendront à vaquer, le Roi y nommera en six mois un religieux âgé de vingt-trois ans au moins que le Pape y pourvoira. Que si le Roi y nomme un prêtre séculier, ou un religieux qui soit d'un autre ordre, ou qui n'ait pas vingt-trois ans, ou enfin inhabile, le Pape refusera de le pourvoir, et le Roi aura encore trois mois pour en nommer un autre. Que si le Roi n'a nommé dans les neuf mois, le Pape pourvoira lui seul.

6°— Les Papes ne pourront plus donner de grâces expectatives ou se réserver les bénéfices avant qu'ils soient vacants.

7° Etaient exceptés du Concordat les évêchés et les abbayes de la Bretagne et de la Provence. Mais François 1 obtint la même année 1516 de Léon X un indult pour sa personne seulement

pour y nommer. La réserve y est également faite, s'ils viennent à vaquer apud sedem Apostolicam. Il faut remarquer à cet égard que le concile de Bâle et la Pragmatique ayant laissé cette réservation au Pape, les Français n'y faisaient pas la moindre difficulté.